

Æthiopumque criptas lari patrio non anteferret: profecto non expectaremur donec sponte profugi solum verteremus: nec diuersis tēporibus eijceremur singuli, sed eodem momento vniuersi, vt Arpinatibus libera vrbs remaneret, vel potius in arpinate municipiū Romę nomen migraret. Hæc ipse nefaria cōsilia paucorum auxilio mea tamen imprimis virtute fregi, oppressi, extinxi. Cæsar. Sylla quam proxime accedis ad eos qui cribro vaticinantur. SyL. Non sunt hæ vanę cōiecturę Cæsar, neque sine veteribus exemplis: te quoque in græcorum libris quum Rhodū ad Molonem nauigasses, lectita sse puto, plærumque nobilitatem vel inuidia vel auaritia plebis ciuitatibus eiectam, fere obseruatum est, eos maximè qui susceperunt inquilinos aduenas, grauius seditiōibus iactariue Sybaritę receptis Achęis atq; Trezenijs, Thurij quoque isdē Sybarinis: sic Actisseos, Zancleos, Byfantios, Apolloniatos, Syracusanos, Amphipolitas hospites aduenæ seditiōibus vexarunt, alios etiam patria domo eiecerūt. Nup̄ vero a nostris militibus Messanę facinus secutis optimates oppido Rhegio nō tamen vltionis expertes fuerunt expulsi: frustra creditur salus leuitati vulgi etiam in tran